

## §. XVIII.

Aequitati  
non aduer-  
satur natu-  
rali, ius re-  
praesenta-  
tionis, etiam  
in successio-  
ne descen-  
dantium,  
non obser-  
uari. Taxa-  
tur Domat.

Quae quum ita sint, ius repraesentationis, particulam successionis ab intestato, seruari aut non seruari, id vero perinde aequum et iustum esse videtur, si verum, quod dixi, et unicum successionis ab intestato principium spectetur. Neque haec tenus inter cognatos recta descendentes et collaterales diuersitatem deprehenderim. Evidem praeter Heroldum et alios, quos supra §. VIII. videoas adductos, Domat in libro, cui titulum fecit: *Les loix ciuiles dans leurs ordre naturel, Partie II. Liu. II. Section II. art. 2.* On peut remarquer, inquit, sur le droit de representation, qu'ont les descendans, que, comme il est de l'équité naturelle, il est en usage dans les Coutumes comme dans les Provinces, qui se regissent par le droit écrit. Cependant il y a quelques étranges Coutumes, ou les descendans n'ont pas le droit de representation. De sorte que les enfans excluent de la succession de leur pere les enfans de leurs freres ses petits enfans. Quibus doctor Gallus significauit, propterea ius repraesentationis in successione descendantium moribus et legibus scriptis esse introductum, quod aequitatis naturalis habeat rationem. Ita ut simul taxet iniquitatisque redarguat alias consuetudines, *étranges coutumes* ab illo dictas, quae iuri repraesentationis inter descendentes locum haud reliquerunt. Fortassis cum Gravina, Italo ICto, ius Romanum ipsam rationem venditante fecit, quo ius repraesentandi in successione descendantium ex sola naturali causa pendere dicitur, vid. Authent. in successionem Cod. de suis et legitimis liberis. Quae eadem aequitatis naturalis ratio Vlpiano arrisit in l. 1. ff. de suis et legit. hered. cuius §. + si filius suus, inquit, heres esse desit, in eiusdem partem succedunt omnes nepotes neptesque ex eo nati, qui in potestate sunt: quod